



**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &  
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

**Molina, Luis de**

**Lugduni, 1622**

Articvlvs II. Vtrum omnia subiecta sint diuinæ prouidentiæ. art. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](#)

## ARTICVLVS I.

*Virum omnia subiecta sint diuinae prouidentie.*

Prudentia  
diuina subi-  
cta omnia  
providetur.

**O**NCLV SIO est affirmans, eaque de fide, ut patet ex illo Sapient. 8. Attinet à fine usque ad finem fortiter & disponit omnia suauiter. Cap. 12. Non est aliud Deus quam tu, cui cura est de omnibus. Et cap. 14. Tu autem Pater prouidentia ab initio cuncta gubernas. Probatur vero ratione, quoniam omnia à Deo propter aliquem finem, vel fiunt, vel, cum ab eo imponi possint, permituntur: ergo omnes res subiecta sunt diuinae prouidentiae, alias ordinant in finem, alias permitenti, seu non impedienti propter aliquem finem.

*Possunt quo-  
rum prouiden-  
tiae suauiter,  
impediti.*

Quod ergo ad peccata attinet, non ea ratione sub diuinam prouidentiam cadunt, quasi effectus sine diuinae prouidentiae intenti, aut voliti à Deo: id enim error esset in fide: sed quatenus ea permittit in fines optimos, articulo precedente explicatos. Interdum vero certius diuina prouidentia, in impediendi peccatis ne fiant: interdum etiam circa actus ipsos peccatorum, quatenus Deus causis libetis concursum suum generalem impedit, non ut peccent, sed ut accommodat ad suam naturam eo ad bonum, & ad malum, prout maluerint, uti posint: quod quidem bonum est, atque ob optimum finem à Deo intentum: quando tamen tali concursum abutuntur, Deus causa est, non particularis, sed universalis actuum peccatorum. Licet ergo causalitas illa, influxusque Dei universalis, effectus sit diuinae prouidentiae: actus tamen ipse peccati: qui non causa universalis, sed particulari tribuitur, ut in concordia quest. 14. artic. 13. disputat. 30. 31. & 32. explicatum est, non est effectus proprius diuinae prouidentiae, nec ab ea intentus, sed est effectus causa particularis, à Deo per suam prouidentiam in particulari in finem optimum permisus.

*Reputa di-  
uisa prouiden-  
tia nullam esse effec-  
tum fortu-  
tum.*

Circa effectus fortuitos optimè nota D. Thomas in responsive ad primum, nullum esse fortuitum comparatione caule prima, sed omnes comparatione illius esse praevios, subiacereque diuinae prouidentiae. Non tamen videtur proinde necessarium concedere, omnes diuinae prouidentiae esse intentos: ut enim fortuiti non sint, satis est, si omnes in particulari cum minimum sint praevisi, atque à diuina prouidentia ob debitum finem permisisti, ut partes videlicet huius universalis accommodatae ad suas naturas agere sinat. Vnde sequitur interdum quoddam earum deficeri, interdum vero ob concursum diversarum causarum sequi effectu, qui præter viresque, aut alterius intentionem resultatis vero, si raro sequitur, erit fortuitus comparatione eius causa, à qua neque intendebatur, neque præuidebatur futurus. Hinc patet, necesse non esse concedere, mortem illius, qui præter ipsius intentionem, dum natura voluit, suffocatus est, esse intentam, ac voluntam à Deo, sed permittam dumtaxat. De qua re redibit sermo artic. 4. sequenti.

*Diuina pro-  
videntia cur  
se extendat  
ad effectus  
necessarii  
accidentes.*

In responsive ad tertium nota causam, quare prouidentia diuina se extendat ad ea, que posita constitutione vnfueri, necessaria sunt, ut ad eclipses futuras, ortus, & occasus astrorum, &c. humana vero non item. Etenim Deus, cum autor sit natura, causa est eorum per suum liberum arbitrium, neque illa comparatione Dei rationem habent effectum necessariorum, sed contingentium, aut po-

A tūs liberorum, ut quæst. 3. artic. 4. disputat. i. ostendit: homo vero neque ea efficere, neque via ratione impetrare valeret: quare cum prouidentia solum sit circa ea, que in potestate prouisoris aliquo modo sunt: sit, ut diuina prouidentia ad illa se extenderat: humana non extendat.

Circa responditionem ad ultimum animaduertendum est, quanum diuina prouidentia ad omnia se fundat: Deum tamen quarundam rerum dici peculiariiter habere prouidentiam, quatenus per leges, & admonitiones, peculiariaque alia subsidia eas dirigit, & adiuuat in finem supernaturalem, certificante rebus carum gratia prouidet. Hac ratione Paulus 1. ad Corinth. 9. de legibus quibusdam agens, quibus sub boum typo, aliud quod ad mores, regimènque Ecclesiæ spectabat, docere, præcipere que int̄debat Deus, ait: Numquid de bobus cura est Deo? in legibus scilicet, quas in Scripturis sacris tradidit, quasi dicat, & non potius aliquid aliud sub typo illo tradere docereque voluit, quod ad homines, regimènque Ecclesiæ pertinere: Quorundam iustorum, & præsertim corum, quos ad peculiares fines elegit, dicitur Deus habere peculiarem prouidentiam, quatenus accuratis ab eis pericula, & noxia removere, atque ad eximia opera eisdem efficaciter opitulari intendit, quam ceteris.

Quarum re-  
rum peculi-  
ariter esse dis-  
catur.

## ARTICVLVS III.

*Virum Deus immediatè omnibus prouideat.*

**P**RIOR conclusio est. Si diuina prouidentia spectetur quoad rationem ordinis rerum in suis fines, in quo formalis ratio prouidentiae est postea, Deus immediatè omnibus prouidet. Hec est manifesta, quoniam in se habet rationem ordinis rerum omnium, etiam minimarum, in suis fines, quod ex summa, atque immensa ipsius perfectione proficitur.

Posterior est. Si diuina prouidentia spectetur quoad executionem huius ordinis, quod iam ad gubernationem spectat, non ita immediatè omnibus prouidet, quasi causas alias excludat: quin potius causarum secundarum interuenient multa producit ac gubernat, ut inferiora per superiora: quod ad splendorem diuinae maiestatis spectat, in cōque bonitas ac potentia ipsius magis eluet.

Deus quate-  
rus rebus im-  
mediatè pro-  
uideat.

## ARTICVLVS IV.

*Virum diuina prouidentia rebus prouisis  
necessitatem imponat.*

**O**NCLV SIO est. Diuina prouidentia quibusdam rebus necessitatem imponit: aliis vero minimè. Probatur quoniam Deus, cum sua aeterna rerum præordinatione in suis fines, quae rationem habet prouidentiae, tamen etiam cōstitutione ipsa universalis, quæ pars quedam est executionis illius, quibusdam rebus preparauit causas necessarias: eniūmodi sunt eclipses, apestis, ortus, & occasus astrorum, quæ posita cōstitutione universalis, necessariò ex suis causis eveniunt: multis vero aliis rebus causas contingentes, aut liberas prescripsit, præsentim illis, quæ ab arbitrio creato pendent: ergo diuina prouidentia quibusdam rebus seu effectibus necessitatem imposuit, aliis vero minimè. Posterior conclusionis

Diuina pro-  
videntia qui-  
bus effectibus  
necessitatem  
imponit.